



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Dixit enim in corde suo, non mouebor a generatione in generationem sine malo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Dixit enim in corde suo, non mouebor a generatione in generationem sine malo.

Ecce contemporem tribulationis futuræ, iudiciorumq; dei. Interpres, hebræum non exprimens, cōtrariū sensum edidit, quem textus non habet. Sonat enim quasi impius pponat semper malum facere, cum uelit nullo se unq; malo moueri. Quare & distinctionem & hebræum sensum, sic reddamus ad uerbum. Dixit in corde suo nō mouebor in generatione & generationem, quod non in malo. Sic & Hieronymus, licet aliter distinguens. Dixit in corde suo, non mouebor a generatione in generationem, ero sine malo. Adficiens uerbum substantiuum, ero, quod hebræis subauditur. Est ergo sensus apertus, qd impius in tribulationes sibi denunciatis contemptim loquitur, dicens: Non mouebor in eternum, eroq; sine malo per omnes generationes. Estq; eadem sententia utriusq; partis uersus per tautologiam. Est & idiotismus hebraicus in uerbo mouebor. Ut psal. xliij. Qui facit hæc, non mouebitur in eternum. Subindicatur enim pauor ille, fugaq; conscientia. De quo Isa. xxviii. Qui crediderit, non festinabit, seu, non confundetur, non perturbabitur. Et psal. i. Non sic impij, sed tanq; puluis, quem proijcit uentus.

Cuius maledictione os plenum est & amaritudine & dolor, sub lingua eius labor & dolor.

Hieronymus sic: Maledictione os eius plenum est & dolis & avaritia, sub lingua eius dolor & iniquitas. Primum errasse interpretem nostrū in nomine אמרינות amaritudine perspicuū est ex hebræa lingua: proprieq; pro eo Hiero. reddidit. Et dolis. Sic enim psal. xxij, quoq; trāslatum est: Nec iurauit in dolo proximo suo. Cum amaritudinis uocabulum nō habeat, Mem, substantialem literam, sicut istud, Quod noster dolum, Hiero. avaritiam posuit, usuram alias reddunt, psal. lxxj. Ex usura & iniquitate redimet animas eorum. Et ambæ dictiones psal. liij, sic redduntur: Et nō defecit de plateis eius usura & dolum. Scio uarie hunc uersum tractatum & tamen obscurissimum relictum. Id mihi persuadeo, dum oris & linguæ officium arguit, eum de operarijs uerbi, hoc est de sacerdotibus, pontificibus, doctoribus & ministris uerbi in populo loquit. Proinde non posse intelligi de his, qui maledictis priuatim & conuicijs infamant: Sed de maledictione quæ in docendo contingit & populo nocet sub specie benedictionis. Quando enim uere uerbum dei prædicatur, gratia & benedictio prædicatur. Sicut Ro. i. Euangelium uirtus dei est in salutem omnium credenti. Quæ benedictio olim Abrahamæ promissa est Genesis. xij. Quamuis autem psal. v. huius uersus sententiam abudè tractauerim, ubi dicitur: Qm non est in ore eorum ueritas &c. tamen quia tam potens monstrum est ad nocendum, doctor impius, dignum est sapius ipsum tractari.

Primum sicut cetera omnia, ita & hunc uersum uehementi spiritu loquitur in impijs appellans maledictionem & execrationem doctrinam eorum, quam ipsi benedictionem esse populo persuadent. De quibus Apostolus Ro. ultimo. Qui per dulces sermones & benedictiones corda seducunt innocentium. Isaia. i. iij. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Sed & Apostolus ad Timotheum prædixit futuros magistros prurientes auribus. Has itaq; blandi loquas